

rum discus Planetarum disco similis est, & quas Cometas nominant. Hos autem quamuis ratione disci cum illis utcumque conuenire detegant, nihilominus in multis ab iisdem disconuenire deprehendunt. Nam, cum Planetæ aut nullis aut exiguis radiis ornati sint, Cometæ radios amplissimos emittere cernuntur, qui pro diversitate situs diversis etiam Cometas insigniunt nominibus. Quando enim in eam partem cæli, in quam Cometa tendit, proiiciuntur, tunc barbatus; quando antecedens Cometæ corpus sequuntur, tunc caudatus; & quando in orbem, circa Cometæ discum sparsi sunt, capillatus, seu crinitus cometa dicitur.

§. III. Varii variis temporibus tam apud Veteres, quam apud Recentiores Historicos leguntur apparuisse huiusmodi Cometæ. Sed præcipui & quorum mentionem fecere Astronomi maximeque Autor Historiæ Rerum Gallicarum, *Mezerai*, *Abregé Chronologique de l'histoire de France*, his celebrantur visi fuisse temporibus. Anno 817. Regnante in Gallia Ludovico Pio Imperatore visus est Cometa in Signo Sagittarii. An. 837 circa Festum Paschatos alius memoratur ab eodem Imperatore & Rege Ludovico Pio primum animaduersus, nempe sub signo Virginis, qui cum viginti quinque dierum spatio signa Leonis, Cancri, & Geminorū decurrisset, tandē è regione capitis signi Tauri dicti Comam, siue capillos deposuit. Anno 1348. Mense Augusto, Regnante in Gallia Philippo valesio, notat idem Auctor ad occidentalem Parisiorum plagam, Cometam undequaque radiantem ortum, qui non procul a terra distitus esse videbatur, quique non multo post omnino disparuit. Refertur in eadem Historia ad An. 1471 proceræ magnitudinis Cometam octoginta dierum spatio illuxisse, qui caput in
signo